



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Rembertvs Episc. 4. Februarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

aliter ac pontem perambulavit, dein velut fessus molliter in medio aquarum confedit; haustis interim vortice LXVIII. viris, qui Deorum suorum fiducia idem agere tentarant. Tandem cum geminis unius ex septem, de quibus dixeramus, matronæ filiolis, licitori cervicem præbuit. Quibus è vulneribus plus gloriæ quàm sanguinis manavit. Ex Surio.

S. REMBERTVS EPISC.

4. Februarii.

Tantum REMBERTVS apud Deum poterat, ut Sacerdos piacularibus flammis addictus eum patronum expe- teret: ut minùs mirère, si, quòd in infernos ignes habuit imperium, Antistes Bremensis factus in eorum etiam in- quilinum malum genium exercuit. In- federat hic Carolum Crassum postea Imperatorem, universoque regno & Ludovico patri luctuosum dederat spe- ctaculum. Frustrà per Divorum tumu- los circumducebatur, frustrà carmina devotoria adhibita, donec REMBER- TVS larvis filium, & patrem sollicitu- dine liberavit. Carolus memor bello nuper patrem se petiisse, fassus ingenuè est, non tunc primùm se diris esse agi- tatum, sed quoties infestandi patris consilia cepisset; ut intelligant, qui in parentes insurgunt, quo consiliario

rem

rem gerant, quin imò jam animos occino hospite possideri, quibus amor in parentes est pulsus. Caterùm REMBERTVM patrem pauperes suum jam dudum vocabant, ut qui in eorū usum loculos semper circumferret. Certè in captivos non suos modò, sed etiam sacros thesauros dilapidavit, præclaram mercaturam existimans, auro animas emere. Victoriã contra Nortmannos precibus suis alter Moses impetravit, fuitque deinceps locus ille, in quo oraverat, semper cespite virenti latus: puto ne unquam civibus obsidione liberatis deesset, unde coronam sospitatori suo necerent. *Ex Surio.*

S. THEOPHILVS CONF.

4. Februarii.

O Semper insidiosa demissis animis ambitio! THEOPHILVS ille, qui infulam ultro oblatam ultro rejecerat, mox officio œconomi ab æmulis se dejici usque adeò indignatus est, ut exire in auxilium orcum non vereretur. Ergo ad magum, cum hoc ad juratum humani generis hostem curritur: Deum Deique Matrem ejurare non titubabat lingua impudens, non erubescit scripto firmare calamus impius, sustinet obsignare fœdus infandum gemma perfida: verbo, IESV ac Mariæ nuper libertus, dæmonis abit mancipium. Sed